[illegible]

COMMENTATIO PHILOSOPHICA

De principiis rationum philosophicarum PYTHAGORÆ, PLATONIS atque PLOTINI, inter se comparatarum:

QUAM
PRO OBTINENDO GRADU
DOCTORIS HUMANIORUM LITTERARUM
IN UNIVERSITATE GALLO-FRANCICA
FACULTATI HUMANIORUM LITTERARUM
IN ACADEMIA ARGENTORATENSI
OBTULIT ET PUBLICE DEFENDET

JACOBUS MATTER,
ECKENDORFENSIS,
HUMANIORUM LITTERARUM IN FACULTATE LICENTIATUS;

DIE VI SEPTEMBRIS, ANNO MDCCCXVII, HORA XI.

ARGENTORATI,
Typis F G. LEVRAULT, Academiæ typographi.
1817.

COMMENTATIO
PHILOSOPHICA
De principiis rationum philosophicarum PYTHAGORÆ, PLATONIS atque PLOTINI, inter se comparatarum.



INTER philosophos prisci ævi, cum quibus familiaritatem quandam jam mihi licuit inire, duos præcipue fateor me deamare: sunt PYTHAGORAS et PLATO, PYTHAGORAM in plurimis sequens [1]. Multo minus videtur PLOTINUS, recentiorum Platonicorum princeps, æstimandus, sed a paucis ut æquum judicatur. Cum et hic in omnibus fere PLATONIS vestigia premat, inde fit ut vinculo arctissimo cohæreant trium illorum virorum systemata. Sunt etiam illis alia communia: cœlestis animus, purus atque audax; studia, itinera. Vota sua nonnunquam pro veritate ponunt; sed eorum doctrina nil sublimius, nil sanctius, nil quod magis sit optandum. Verum, si audaciores æquo nonnumquam deprehenduntur, ne putemus eos res observandi facultate minus præstare, seu fugere ratiocinationem. Tantum abest, ut potius PLATO PLOTINUSque cum voluptate sese dialecticis disceptationibus committant, ita ut cum Gorgia sive Prodico quodam magis quam Socratis aut Ammonii discipulis rem habere tibi videaris. Cum vero nulla sit cujusdam momenti philosophica quæstio, quam non pensitave-

1 Diog. III, c. 10, 11.

rint Platonici, ex eorum scriptis forsan acquiri possunt auxilia quædam sanis illis doctrinis, quæ nunc ex omnibus terræ partibus in communem veritatum thesaurum confluere, animosque nostros non inauditis quidem sed veris dogmatibus instaurare videntur. Hac spe ipse sum motus, ut ex adversariis meis platonica quædam depromerem, magis ut rationem meam philosophica discendi demonstrarem, quam ut ingenii ponerem monumentum.

Cum tempus urgeat, erimus breves. Postquam nonnulla de viris ipsis quos proferemus atque scriptis quæ reliquerunt disseruerimus, eorum sententias, nullo alio quam quo inter se cohærere videntur ordine statuto, exponemus.

PARS PRIMA.

Varia quæ philosophiæ pararunt nostri triumviri fata non tam e varietatibus *ingeniorum* quam *temporum* debent derivari. Pythagoras, *Samius*, sæculo ante Christum sexto est natus, cum primum Græci quæstionum philosophicarum nodum solvere sunt conati, adhuc magistri verbo credulam quandam præbentes fidem. Plato, *Atheniensis*, Alcibiadis coævus, nonnisi sæculo fere a Pythagora distat : sed quo sæculo! Philosophica studia eo tunc pervenerant, ut jam non singula dogmata sed doctrinam, jam non sententias sed argumenta, a philosophorum subtilissimorum agmine poscebantur. Plotinus, *Lycopolitanus*, denique, tertio post Christum sæculo florens, cives habuit, hos dubiis insolubilibus disturbatos, illos superstitiones amplexuros; hos atheismo, illos corruptioni morum deditos : cunctos meliora dogmata anhelantes.

Ut triumviri nostri inter suos cives claruerunt, ita *magistris* usi sunt celeberrimis : Pythagoras Pherecyde, Socrate Plato, Plotinus Ammonio. Anaximandrum, Thaletis discipulum, atque Epimenidem quoque audivisse Pythagoram nonnulli sunt auctores : nec eis est fides deneganda. A Cratylo Heracliti sententias, ab Hermogene Parmenidis, a Sophistis atticis varia didicit

PLATO, ab Euclide dialecticam[1]. PLOTINUS soli Ammonio inter Alexandrinos adhæsit; sed scripta philosophica omnium temporum assidue conferebat.

PYTHAGORAS adiit Ægyptum, tum omni terræ doctrina antiqua antecellentem, Chaldæam si Diogeni Laertio, Porphyrio et Jamblicho fides, Indiam et Galliam, denique, si Alexandri Polyhistori[2], et Apuleio[3]. PLATO apud Ægyptios, in Græcia magna, atque in Sicilia mores gentium philosophorumque sententias cognoscere studuit. Brachmanes visere, bella vetabant[4]. PLOTINUS Asiam est pervagatus. Sed indicare magis hosce doctrinæ nostrorum fontes, quam quæ ex illis hauserint demonstrare, jam nobis licet. Id vero quisque videt itinera tunc ad philosophica studia magis etiam quam nunc necessaria fuisse. Ingenio Nostri miro modo excellebant, sed cœlesti etiam illo veritatis virtutisque ardore flagrabant, quem recte deum in nobis, ενθουσιασμον, Græci vocant, sine quo nil unquam sive pulchrum, sive bonum. Ingenium Nostrorum fere divinum, eorumque sapientiam atque gesta ita mirati sunt sui cives posterique, ut deis quodam modo eos adjungerent. Deus videbatur PYTHAGORAS, Apollinis filius PLATO; dæmonibus superior PLOTINUS.

Universam tractarunt hominis scientiam; *cosmogoniam*, *theologiam*, *anthropologiam*, *morum disciplinam*, *politicen;* sed in eo præsertim consentiunt, ut omni nisu studeant, hominem a terrestribus ad cœlestia avocare, eumque mundo sensibili, cui fato nonnisi pro tempore est adstrictus, eripiendo, ad veram suam patriam reducere.

Ad rempublicam reformandam, ad veritates in æternum propa-

---

1 « Miscuit Heraclitorum Pythagoreorumque ac Socraticorum doctrinas. » Diog. Laert. III, 11.

2 Clemens Alex. Strom. I, p. 304.

3 Florid. II.

4 Apuleius, de dogm. PLAT.

gandas *politico-moralem* instituit Pythagoras *associationem*[1]: Plato, politiæ morali non minus studens, *philosophicum institutum* magis quam politicum fundavit: Plotinus, mundo intelligibili plane deditus, Platonopolin suam nonnisi asseclis condere cupiebat[2]. Sic per varios gradus ad eundem scopum, ad cœlestem hominis patriam, Nostri tendebant.

Magistri Nostrorum nulla *scripta* reliquerant: quæ ipsi volumina exararunt, vix sententias eorum in omnibus exprimebant; majorem partem sæcula non tulerunt.

Carmina aurea, apophthegmata sacra epistolæque, sub nomine Pythagoræ quæ circumferuntur, aut ab illo non sunt, aut non in ea qua prostant forma sunt ab ipso edita, aut obscure plerumque mentem ejus revelant.[3]

Ex aliis igitur fontibus haurienda Pythagoræ statuta. Cum vero scriptorum de Pythagoricis rebus maxima pars, de Pythagoræis magis, quam de Pythagora agant, de his omnino in latebris hodie divagaremur, nisi tantam magistro servassent Pythagoræi fidem[4]. Ecce vero novam quandam ἀποϱιαν: nonnisi selectis quibusdam discipulis totam suam mentem aperiebat Pythagoras; Pythagoræi sancti arcana servabant magistri[5]: maximas igitur in exponendis Samii institutis adhibebimus cautelas.

Multo fusius placita sua exponere videtur Plato. Sed in *epis-*

---

1 Ablego politiam Pythagoræ; adeant qui volunt librum cl. Meiners *Hist. des progrès et de la décadence des sciences, etc.*, vol. 1; sed ne politicum plane putent Pythagoræum institutum, monet Herodotus lib. II, c. 81, mysteriis cæteris id annumerando.

2 Vanam plane illorum hypothesin, qui Plotinum Ammoniumque fœderis contra christianam doctrinam icti fecerunt auctores, jam profligavit Meinersius, in *Denkart der zwey ersten Jahrhunderte, etc.*

3 Laert. in Pythag.

4 Proverbium: ἀυτος εφα.

5 Laert. VIII, c. 1, n. 15.

tolis parum tractat philosophica, et *dialogis* nec omnia quæ Plato invenerat insunt, nec omnia quæ insunt Platonis reddunt sententiam. Dialogus natura sua parum ad systematum expositionem est aptus. In eo nempe secundariæ quædam res fusius sæpe æquo explicantur; a principiis ad remotissimas aberratur consequentias: labyrinthus inde existit in quo incassum plerumque quæritur quod educat filum. Cum vero imagines insuper frequentissimas atque mythos suis intexat scriptis, cum quæstiones suas ad finem perducere timere videatur, cum aliorum systemata magis quam sua expandat, cum suas quoque sententias aliis attribuere amet, cum denique iterato affirmet in philosophia non omnia in publicum esse edenda: non video, quomodo de mente Platonis unquam poterimus esse certiores. Attamen cum Plato non is videatur qui alia doceat intra muros quam extra; cum in genere non sit facilis res sententias suas ita celare, ut e mythicis nubibus non splendida sæpius lumina effulgeant; cum probabile sit denique, omnes quæ inter exotericam atque esotericam intercessere differentiæ in eo constitisse, ut in publicum quidem ederet philosophiæ elementa, selectis vero asseclis superiorem quandam revelaret doctrinam, non video, cur in dialogis non vere Platonicam quæreremus sapientiam? Sed in tanta philosophorum, qui in dialogis Platonicis disserunt, corona, qua via ad illa perveniendum quæ vere Platonis? Socratem ejus partes agere in plurimis videtur, quod etiam inde patet, quod ipse Socrates ob false sibi attributa discipulum vituperaverit. Non igitur desperandum est ex usu diuturno familiaritatem quandam inire cum Platonis veris sententiis.

Ad Plotinum properandum. Non lubenter hic litteras exarabat: artem hanc a teneris non exercuerat; postea oculis defecit acies; scribebat mira velocitate; a charta sæpe distractus; scripta nunquam religendo. Talia fuere volumina, a Plotino jam ad quinquagesimum ætatis annum vertente, conscripta, Porphyrioque, ab ipso auctore

emendanda atque edenda, tradita. Porphyrius illa quidem in eum, quem nunc in Enneadibus videmus, redegit ordinem, sed non absque suspicione, obscuris sua, truncatis uberiora eum substituisse. Hæc saltem inde sequi mihi videntur, quod, eodem fere tempore quo Porphyrius, Eutochius quidam, plotinicorum scriptorum vulgaverit editionem, a porphyriana plane diversam.[1]

Ammonii sententiæ in Plotino non quærantur; de Plotini vero statutis eo minus oriantur dubia quo frequentius ad easdem res fit in Enneadibus regressus. Sed obscurus sæpe, plerumque mysticus, nonnunquam sophista est Plotinus. Non cujusque videtur esse e tali scriptore puram eruere doctrinam[2], non cujusque completam; nam Plotinus quoque arcana quædam selectiori amicorum cœtui docuisse videtur.

De methodo Nostrorum philosophiam docendi hucusque nonnisi ἐν παρόδῳ sumus locuti; nunc paulo uberius res tractanda. Duplicem, non doctrinam sed docendi rationem, eis fuisse, non dubia res est.

De Pythagora id testantur Diogenes Laertius[3], Cicero[4], Aulus Gellius[5]; de se ipse Plato[6]; de Plotino vero non æque certum. Cum tamen Ammonius magister statuerit illam distinctionem; cum Plotino Porphyrius præ cæteris fuerit carus atque ad scriptorum editionem selectus[7]; cum denique de dæmonibus,

---

1 Porphyr. in vita Plotini.

2 Creuzeri hoc videtur opus. Cf. ejus specimen editionis Plotinianæ; Heidelb. 1811, in-8.°

3 Lib. VIII, 14, 46.

4 Cicero de nat. Deor. I, 5.

5 I, 9.

6 Epist. VII. Cf. Phædrus; cf. Aristoteles, Phys. IV, 4, qui ἀγράφων δογμάτων magistri meminit. In specie Πυθαγόρεια et διαιρέσεις (v. Epist. XIII) doctrinæ esotericæ fuisse videntur.

7 Porphyr. in vita Plotini.

Enneadum auctor nonnisi leviter agat quanquam in hac doctrina præcipue versatus, non possum non affirmare eum quoque in hoc PLATONEM esse secutum.

De aliis methodi Nostrorum philosophiam docendi commodis, de vita discipulis cum magistro communi, de scholarum amœnitate, de quæstionum propositarum fructibus, de dialogorum, non in scribendo sed docendo, utilitate, de systematum priscorum studio, analysi atque critice, de selectu amicorum quorundam vere philosophorum, de his omnibus cæterisque eo magis nunc mitto dicere, quo minus in universum sit methodus quædam probanda. Non enim ingenio solum præstare debet qui veterum sequi velit docendi methodum, sed etiam memoriæ vastitate et celeritate orisque facundia; quæ tamen a philosophorum unoquoque nullo modo possimus poscere. His paucis de methodo non nisi verbum subjungamus de reliquis Nostrorum studiis, cum philosophica doctrina indissolubili vinculo conjunctis. PYTHAGORAS arithmethicæ, geometriæ, astronomiæ, musicæ denique ita sese dederat, ut non solum in unaquaque harum disciplinarum maximi momenti theorias invenerit, sed etiam inde philosophicum suum desumserit sermonem, atque, ut ita dicam, philosophiæ ipsa principia. Iisdem studiis PLATO vacabat [1]. PLOTINUS a teneris in grammatica, cæterisque, quæ tunc Alexandriæ florebant, disciplinis eruditus fuerat; postea theurgicis magicisque artibus studuisse videtur [2]. Sed de his, quæ ad intelligendas Nostrorum conducunt doctrinas, ad hasce ipsas, seu potius ad eorum communem doctrinam, nunc transgrediendum.

---

1 Statutum ejus : *ουδεις αγεομετρης*, etc.

2 Porphyr. in vita PLOTINI. In doctrina pulchri tam in litteris quam artibus (quæ apud Germanos æstheticæ nomen fert inde a Baumgartenio) PLOTINUS æque ac PLATO consulendi.

PARS ALTERA.

Ante omnia videndum quid de ipsa philosophia Nostri censuerint. Secundum PYTHAGORAM, philosophi sunt *veritatis venatores* [1], qua imagine optime sane res est in genere definita : si vero quid veritas sit ipsa a PYTHAGORA velis exquirere, mutus tibi est in iis quæ supersunt pythagoricis scriptis [2]. Philosophia in mente PYTHAGORÆ nihil aliud fuisse mihi videtur quam quod in initiis rerum philosophicarum apud omnes fuit gentes : series quædam cogitationum seu ratiocinationum de mundo, anima et Deo, in qua probabilitas pro ipsa veritate ponitur. Cæterum PYTHAGORAS videtur posuisse *numeros* quosdam *intellectuales*, a quibus, ut ab æternis rerum typis, derivatæ sint natura universa et scientia hominis. Rationi soli attribuebat veritatis criterium, quasi menti, ex universi anima egressæ, atque cognitione rerum, suæ naturæ affinium, ditatæ [3]. Multo majus, imo maximum, adhibuit studium PLATO ut philosophicam scientiam recte definiret [4]. Επιϛημη, scientia, ei sollicite ab εμπειϱια, τϱιβη, τεχνη atque δοξα distinguitur. Scientia acquiritur *rei nomine*, *notione*, *imagine;* est cognitio veri (τοδη γνωϛον και αληθες εϛιν). Philosophia est επιϛημη του οντως οντος, ejus quod perpetuum est, non quod oritur, quodve interire videmus. [5] A sophistica caute est distinguenda [6]; mathesi in eo superior quod non διανοιας sit fructus, sed νοησεως. PLOTINO, ut mox videbimus, phi-

1 ει δε φιλοσοφοι της αληθειας θηϱαται. Diog. VIII, 6.

2 Verbi φιλοσοφος videtur esse P. auctor. Diog. Laert. VIII, 8, I, 12. Cicer. Tusc. V, 5. Verba vero φιλοσοφια, φιλοσοφειν, posterioris videntur esse ævi. V. Meiners, *Histoire des progrès et de la décadence des sciences, etc., vol.* 1.

3 Sextus Empir.

4 V. Theætetus. Εϱαϛαι, vcc. δοξα, επιϛημη, σοφια, φιλοσοφια, in οϱοις.

5 Def. 11. φιλοσοφια της των οντων επιϛημης οϱεξις θεωϱητικη του αληθευς πως αληθες. Cf. Arist. Metaph. I, 6.

6 Vid. Sophista.

losophia non est cognitio veri, sed fontis ipsius veritatum intuitio. Sed hæc ad principii cognoscendi nos pellunt declarationem. De PYTHAGORÆ in hac re mente Aristoteles atque Diogenes Laertius adeantur. Ille, in numeris statuisse PYTHAGORÆOS cognitionis principium, docet[1]; hic in eis, quæ ad intelligentiam pertinent, PLATONI præluxisse PYTHAGORAM asseverat[2]. Sed quomodo numeri sint et principium cognitionis et principium rerum (quod PYTHAGORAM putasse vult Aristoteles) non intelligitur; nec e Laertii dictis probari potest PLATONEM a PYTHAGORA accepisse doctrinam idearum. Hac ipsa PLATONIS doctrina nihil est quidem clarius, sed etiam in historia philosophiæ nihil vix audacius.

Si PLATONI in his fides, sensus ad philosophiam nil per se faciunt: transmittunt enim intellectui nonnisi imagines rerum semper fluentium, nunc orientium, nunc intereuntium; opinionem non scientiam afferre valent[3]. Sola *νοησις*, cogitatio, mentis humanæ privilegium, nos ad *του οντως*, *του αει*, *του αληθως*, *του ταυτο οντος*, conducit. In mente enim nostra depositæ sunt æternæ rerum *ideæ*, rerum veritatem, *ουσιαν των οντων*, exprimentes. Non singularium tamen rerum, sed ejusdem generis typi; hinc *ἑναδες* sive *μοναδες* vocantur, ad quas *τα πολλα*, *το απειρον*, quasi ad principia sua, *αρχας*, applicantur. Non tamen ita intelligamus Aristonis filium, ut per se ideæ possint scientiam menti hominis præbere; dormirent enim in intellectu nisi a rebus externis excitarentur[4], ita ut e sensuum fonte derivare videretur cognitionem PLATO, ni statueret jam ante sensuum existentiam, imo ab æterno, fuisse ideas, resque veras eas sua natura in se gerere.[5]

---

1 Metaphys. lib. I, 5.

2 Lib. VIII, c. 1.

3 In his quoque PYTHAGORAS putatur PLATONI præivisse.

4 Omnis cognitio inde *αναμνησις* est apud PLATONEM. V. Phædo.

5 Finis non esset si vel qui de *ideis* platonicis scripserunt vellemus cunctos

Sceptici tamen jam per sæcula suspectam fecerant mentis humanæ res ipsas penetrandi facultatem; non ideas ipsas quidem, sed res externas ideis respondentes, dubias reddiderant, vel saltem earum exactam conceptui nostro conformitatem. Veritatem igitur sustulerant e mundo suo apparente, vel, ut verius dicam, e sola quæ menti humanæ data sit rerum natura. Aliunde vero doctrina quædam, animo hominis exoptata, cœlestem præ se ferens originem, ab ipso supremo Numine orbi revelata, generi humano arridebat. Tunc PLOTINUS, hinc atque illinc in angustias compulsus, non amplius hæsitavit doctrinæ suæ philosophicæ principium ponere, hypothesi idearum, si quid potest, multo audacius. A principio rerum omnium, a lumine luminum, menti humanæ datur intuitio universi. « Sicut per ipsum lumen et oculus est perspicax et colo-
« res sunt perspicui, in quibus oculus videt lumen quod in se
« ipso non videt : sic per primum principium et mens intelligere

---

laudare, vel quæ statuerunt exponere. Ad hæc fere videntur redire : *a*) *Ideas esse deos quosdam a supremo Numine distincte existentes.* Aristoteles, v. Cudworth. Syst. intell. ed. Mosh. p. 662, contra Brucker. Hist. phil. I, 698. *b*) *Ideas esse substantias quasdam* ÆTERNAS, quibus in condendo universo quasi typis rerum Deus sit usus. Plessing in Memnonio; v. contra, PLATO in Parmenide. Tennemann in Hist. philos. VI, 304. *c*) *Ideas esse substantias materiales æque ac rationis puras notiones.* Plessing in Memnonio. *d*) *Ideas mutato nomine esse Pythagoreorum numeros* (Arist. Metaphys. I, 6); *Aristotelis categorias.* Stewardus, in *Recherches sur l'entendement humain.* hæc habet : « *Platon et Aristote ne différoient tant que par les mots; l'un et l'autre admettoient une matière éternelle; mais Platon prétendoit en outre qu'il existe de toute éternité l'idée ou la forme de chaque genre de choses. Aristote croyoit que la matière a pu exister sans la forme, mais que la forme ne sauroit exister sans la matière.* » Est multus et omnino audiendus in hac re admirabilis Stewardus, quem in hoc loco secundum excerpta mea e gallica versione laudavi. Cf. Porphyr. in introd. ad categor. Arist. Ad hæc omnia e PLATONIS de rep. libro VI hæc adjiciamus : Idea est res in se, *noumenon*, quod sensibus non percipitur, quod nonnisi mente comprehendi possit; in logica notiones generis; in metaphysica res ipsa, non sensu percepta, sed mente cogitata.

« potest et vera fiunt intelligibilia, in quibus mens ipsius princi-
« pii lumen intelligit, in se ipso vero nequaquam.[1] » Cogitatio igitur non amplius philosophiæ principium, sed veri intuitio. Verum caveamus ne plane nova hic deprehendere putemus : Platonici jam diu, ut in Philone atque Plutarcho[2] videre est, lumen illud supernum tuebantur; PLATO ipse, tum monendo, ne *Deum in nobis corrumpamus*[3], cum asseverando, *Deum inter intellectum humanum et mundum intelligibilem eisdem fungi officiis quibus inter visum et res externas solem*[4], fortissime illi præluserat doctrinæ. PYTHAGORAS, a Themistoclea, Delphica Pythissa, dogmata sua accepisse, indeque veritatem perinde atque Pythius loqui, ferebatur[5]. Sic constanter videmus non quidem plane consentientes nostros triumviros, sed per sæculorum seriem, communem doctrinam magis magisque excolendo, sibi consociatos[6]. Hoc, quando ad singula dogmata licebit accedere[7], ita clare demonstrare in

---

1 Marsilii Ficini summa cap. VII, lib. V. Ennead. V. Cf. Enn. V, lib. III, cap. 8.

2 Plut. opp. IX, p. 583, ed. Reiske. Cf. Cicero pro Archia, c. 14. Virg. Æn. III, 358, VI, 50.

3 Clem. Alex. Strom. 85, 22.

4 V. innumeros apud PLATONEM de hac re locos. Cf. Degerand. *Hist. comparée des syst., etc.*, *I*, 130.

5 Diog. Laert. in PYTHAGORA.

6 Non hic est locus demonstrandi quomodo cum neo-platonicis cohæreant philosophorum sæculi XV, aut mysticorum sæculi XVI et XVII (Helmont, Bœhm, Pordage, Fludd) statuta, sive cum Platonicis Malebranchii nostri atque Leibnitzii hypotheses; sed non possum non meminisse Schellingii cæterorumque qui denuo *το όντως όν* volunt intuitu quodam penetrare, nec Daubii, qui conscientiam Dei puram menti humanæ insitam (*το φως εν σοι* S. Math.) strenue defendere studet, atque nonnisi Christum verum prædicat philosophum, utpote *ομοουσιον τω πατρι*.

7 Logicen, physicam atque ethicam distinguere in philosophicis videntur PLATO PLOTINUSque. Sed nonnisi *δυναμει* hujus distinctionis PLATONEM auctorem

mente est, ut nemini dubia res sit, *miro modo ac non sine numinis supremi nutu, gentibus veritatis æternæ imaginem proposuisse* PYTHAGORAM, PLATONEM *nec non* PLOTINUM.[1]

THESES Pythagoricæ, Platonicæ, Plotinianæ.

1. OMNIA in mundo numerabilia, commensurabilia : numeri ergo principia omnium rerum. Hinc harmonia sphærarum, cujus musica terrestris imago.

2. Monas et Dyas elementa sunt rerum omnium.

3. Ex igne centrali omnia fluxere. Ignis ille animarum principium corporumque. Unum primitivum.

4. Deus et materies et ideæ rerum e materie formatarum, sunt rerum principia.

5. Eædem ideæ, in Deo primitive existentes, in mente hominum depositæ, a sensuum ludo expergefiunt, scientiam humanam constituunt.

6. Naturam fecit Deus, e materie æterna sumens ignem, aerem, aquam, terram ; ita miscendo ut corporibus, quæ nunc, essent formæ.

7. Ideæ constituunt mundum intelligibilem, mundum in Deo, non extra, cujus hoc universum imago æterna.

8. Materies una cum naturæ forma nil nisi apparentia. Malum, materiei comes, apparens.

---

dicit Sext. Emp. adv. VII, 16. In scriptis quos reliquit PLATO nominantur *ἡ διαλεκτικη επιςημη* et *ἡτου βελτιςου επιςημη*. Sed hæc nunc mittenda. Adjiciemus tamen nobis esse in votis de Platonicorum atque Neo-platonicorum placitis ea quæ hic adjungere tempus vetat, publici mox facere juris.

1 Cf. Clem. Alex. Strom. 275, 23; 270, 19; 295, 1.

9. Dæmon fuit anima, beatitudine insignis æque ac potentia, antequam ad errores expiandos in corpus descenderet. Dæmon redibit.

10. A corporibus ad corpora, dum in mundo remanet, errat eo usque quo primitivam recuperaverit perfectionem.

11. Restitutio illa fit purificatione animi, sensuum debellatione, mundi intelligibilis contemplatione; finis inde nascentis intuitionis est regressus in Deum. Sic in oceanum redit aqua ex ampula fracta.

Theses ad disputandum propositæ.

1. Pythagoras omnino optime philosophiam definivit quoad subjectum, sed non quoad objectum.

2. Philosophia non est scientia rerum, sed scientia rationum quibus nituntur ideæ nostræ de rebus.

3. Philosophiæ theoreticæ atque practicæ vana est distinctio.

4. Distinctio inter intellectum (*esprit*) et rationem (*raison*) est vana.

5. Incommoda est distinctio inter substantias materiales et spirituales, ut opposita.

6. Non vana quidem est quæstio de idearum origine, sed vanæ philosophorum differentiæ.

7. Idealismus, qui se ponit *ipseitatem absolutam*, se ipsum destruit.

8. Idealismus, cujus est Berkleius signifer, ab illo Eleaticorum plane differt.

9. *Numeri* Pythagoræorum, Platonis *ideæ*, *categoriæ* Aristotelis, Kantii *formæ puræ*, sunt somnia philosophica.

10. In logica veritas est nonnisi idearum concordantia.

11. Veritas in metaphysica pendet e primitiva affinitate quæ inter sensus et rationem, non e ratiocinatione sed e cogitatione.

Cogitatio hæc mentis humanæ est actus primitivus, nullo modo explicandus, vera cognitio.

12. Eadem causa prima, quæ sensibus præbet phænomena, rationi rectæ præbet veritatem.

13. Axioma: nihil fit ex nihilo, ducit ad absurda.

14. Animus non est Numinis supremi pars.

15. Cogitatio homini non est perpetua.

16. In somno, vis corporis in animum major quam animi in corpus.

17. Principium disciplinæ morum in homine, non in Deo, est quærendum.

18. Principium illud non in ratione, non in animo (*sentiment*) hominis, est in tota humana natura.

19. Philosophicarum doctrinarum studium quibuscunque studiis est anteponendum.

FINIS.